

amico & præceptore meo, quoties de astrologorum uanitate sermo iniiceretur. Id postea literarum quoque monumentis mandauit. Sed adscribam eius uerba, quæ nihil uereor, ne grata tibi accidant, etsi paulo copiosius repersequatur. Sic autem ille: Nullius fere rei homines maiore studio & cupiditate ducuntur, quam futura præfagiendi: humanusque animus cum præterita recordando complectatur, præsentia sensu usurpet, augurio etiam posterum & consequens prænoscere conatur. Sed uerendum est, ne, quemadmodum hominibus immortalitatis irritum desiderium est, (ea enim conditione nati sunt ut moriantur) ita præfensionem istam & præfagitionem falso sibi promittant, cum sine Dei beneficio, quod ante pedes est, uix uidere possint. Ea certe res magnæ fraudi est & hominibus & religioni, cum homines improbi partim quaestu capti, partim, ut credo, malorum geniorum furis agitati, nostra illa futuri auaritate ad artificia diuinationum condenda abutantur, non humanis tantum legibus interdicta, uerum etiam sacris effatis improbatæ. Nec uerò cessat nefarius ille genius errorem propagare, sed se interponit, & per artes suas diligenter agit, infinitaque genera diuinandi & uaticinandi suggerit, & uel noua excogitat, uel uetera renouat, ut illo errore implicati nec Deum agnoscamus, nec colamus. Itaque quis non ægerrimè ferat, eas tenebras olim salutaris Euangelij luce fugatas, ac tot sæculis intermortuas, hoc potissimum tempore reuiuiscere? Quis enim non hodie plus propè fidei mathematicis & Chaldæis, quam sacris libris habet? Quis non ex hora sua seriem euentorum suorum trahi putat? & rectè facta ac uitia sideribus potius quam sibi ascribit? Quinetiam quod omnem impietatem superat, eò progressus est: cuiusdam uesanus & sceleratus furor, ut horam natalitiam Seruatoris nostri describeret, & eum sideribus subijceret, cuius numini non modo sola terrarum, uerum etiam rerum summa paret. Nos tamen ita dormitamus & stupemus, ut eiusmodi scelera